



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. XI. A quo primo producatur Animus rationalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

iectio supra facta cōtendebat: quando enim supponitur existisse, supponitur satisfecisse muneri ad quod natura sua ordinatur; item & Deum ut auctorem naturalem & perfectum, produxisse illam formam completam & perfectam, neque posse Deo tribui animam incomplementum; quapropter supposita existentia in materia recte potest sine illa existere, secus quando non supponitur: sicut habitus fidei, qui postquam in via satisfecit muneri, ad quod ordinabatur, nempe ad constituendum hominem, capacem operandi meritorie supernaturaliter ex parte cognitionis in patria, ubi iam defecit hic finis, deficit etiam & ipse habitus; ita anima postquam constituit hominem, ad quem ordinabatur, potest iam a materia abesse, quia verò anima natura sua est immortalis, conseruatur etiam extra materiam, quod differt ab habitu fidei, qui cum ex se sit defecit, illis, & pendens à subiecto, destructa vnione cum illo, statim ipse perit.

SECTIO XI.

A quo primò producatur Animus rationalis.

309 **A**LTERA potest esse in presenti difficultas, à qua causà producatur animus. Communis omnium & vera sententia docet, produci à solo Deo: sed non est communis, nec facilis illius probatio.

Prima videtur desumi ex immortalitate animæ & conseruatione illius à solo Deo, è quo videtur inferri, à solo Deo producendam. Sed contra, quia forma equi conseruatur à solo Deo, & ex hac parte non illi repugnat immortalitas, nec tamen à solo Deo primò producitur, ergo etiam anima poterat à solo Deo conseruari, & ex hac parte esse immortalis, etiam si non fuisset primò producta à solo Deo.

310 **S**ecundò alij: Animus rationalis producitur per creationem, ergo à solo Deo. Patet consequentia, quia creare arguit infinitam virtutem in principio, ideoque repugnat creature. Sed contra Primò, quia, ut ostendi Disput. XI. Physicæ à num. 82. non requiritur virtus infinita ad creandum, ideoque ibi dixi, possibilem esse de potentia absolutà creaturam potentem creare, etiam ut causam principalem, ergo ex hoc non potest inferri, animam non produci etiam à causà creatà. Contra Secundò, quia saltem instrumentaliter potest creatura naturaliter concurrere ad creandum; vnde ergo tibi constat, animam rationalem non produci de facto à Deo ut à causà principali, ab animà verò matris vt ab instrumentali?

311 **S**apè dixi in his questionibus, de facto non posse ratione naturali agi, quando, in ordine ad potentiam absolutam, neutra pars contradictionis implicat, & nullum est nobis vestigium ex effectibus ad inuestigandum, quæ illarum existat, vt in presenti contingit: verum licet non inueniam philosophicam rationem pro hac sententià, eam tamen vt verissimam teneo, & quia conformior est Catholicæ doctrinæ, & quia ab omnibus Patribus expressè traditur. Ideo dico, etsi possibile sit aliqua substantia, quæ possit creati, vel principaliter vel instrumentaliter, ab alterà substantia creatà; quia tamen possibile est etiam alia

quæ à solo Deo petat creati, & omnes docent, talem esse animam rationalem, infero, illum esse ex numero illorum, quæ à solo Deo petunt creati. Quo discursu vbi sumus loco nuper relato è Physicæ, vt diceremus, nullam creaturam de facto creatæ, nec potest in presenti vlla efficacior inueniri ratio.

312 **A**duerte, à Conimbricensibus libr. 2. cap. 11. quest. 3. afferri, ad probandam prædictam veritatem, decretum Leonis Magni Epistolâ 93. quæ est ad Toribium Asturicensem Episcopum, statuentis, animas à nullo incorporari præterquam à Deo ipsarum creatore. Sed hoc decretum, sic intellectum vt sonat, nimium videtur probare, & contra ipsosmet Conimbricenses, scilicet, vnionem animi ad corpus non produci ab animà matris; nam illa vnio est incorporatio, quæ à Pontifice soli Deo hic videtur tribui. Ne ergo Pontifex communi at vera opinioni refragetur, intelligendus est solum locutus contra eos, qui dicebant, animas à seipsis vel à demonibus ex acie detruendi in corpora; contra quos docet Pontifex, eas à solo Deo produci, & à solo Deo incorporari, in hoc sensu, quatenus se solo eas producit in corpore iam perfectè disposito ad vnionem, quæ necessariò sequitur, ex productione animæ in tali occasione: & sicut, qui dat formam, dicitur dare consequentia ad formam; ita etiam Deus se solo producit animas, ex quibus necessariò sequitur incorporatio, se solo dicitur dare incorporationem, licet hæc in rigore producatur etiam ab alterà causà efficiente, id est, à matre, vel saltem materialiter ab ipso corpore, à quo materialiter vnio causatur; de quo Pontifex in præsentī Epistolâ non egit, quia res est merè Philosophicæ, nullo modo pertinens ad veritatem Fidei, & parui momenti.

314 **A**duerte deinde, etiam si naturali ratione non proberetur, animam non produci ab alterà animà, neque instrumentaliter, posse tamen probari, non produci ab Angelis, vt nonnulli somniarunt: quia licet Angelus sit perfectior animo, adhuc non infertur, eum continere vilo modo animam; sicut, etiam si aurum perfectius sit aquâ, nullo tamen modo illam continet. non est autem maius fundamentum ad dicendum, Angelum continere animam, quàm ad dicendum, in auro contineri aquam, ergo, &c.

Obiter in presenti impugnandi sunt duo errores: Alter illorum, qui dixerunt, animam esse particulam Dei, quem sanè egregiè refutat Leo Magnus, Epistolâ supra citatâ, quia Deus omnino est simplex, item & immutabilis, ergo non potest habere partem quæ sit anima, nec potest, etiam si illam haberet, amittere eam in tempore, non est ergo particula Dei. Idem possumus vlteriùs confirmare, quia particula Dei debet esse infinita & incapax peccati; anima autem finita virtutis est, & capax peccati, vt docemur experientiâ, non ergo est particula Dei.

315 **S**ecundus error est illorum, qui vniam animam in omnibus corporibus constituerunt, quasi Solem omnibus illis affulgentem. Ita tribuitur Pythagoricis: verum hi aliter errarunt, non quidem vnitatem animarum in omnibus corporibus, sed earum transmigrationem asserentes. Hic autem error de vnâ animâ à Commentatore fusè traditus est, impugnatur tamen facile: non enim

potest eadem anima indiuisibilis simul & semel velle opposita, assentiri & dissentiri eidem obiecto, peccare & odio habere peccatum, quod per se lumine nature notum est: sed anima Petri assentitur obiecto, cui tunc temporis anima Pauli dissentit; item amat simul obiectum, quod odio habet Paulus; non ergo eadem virtusque anima. Neq; ad hoc iuuat, esse in diuersis locis, vt ostendi Disputat. xii. Phys. à num. 139. Vide etiam quae dixi Disputatione 111. Physica, num. 42. contra eos, qui vnicam formam in omnibus entibus ponebant, ea enim omnia hic locum habent; & res est adeo clara, vt non paratur nos in ea diutius immorari.

S E C T I O XII.

An praecedant alia Anima in corpore ante rationalem.

316 **E**RRORIBUS his expulsis, adhuc nobis restat cum Catholicis contentio, vtrum scilicet anima rationalis infundatur corpori, vbi primum dispositum est ad operationes nutritionis, an vero tunc infundatur anima nutritiua solum; disposito vero deinde corpore, expulsâ nutritiua, introducatur sensitiua, tandemque vltimò perfectè organizatâ materia expellatur anima purè sensitiua, & introducatur rationalis. Conimbricenses lib. 1. cap. 1. quaest. 4. art. 2. docent hoc vltimum, & probant ex D. Thomâ 1. Parte quaest. 118. art. 2. ad 2. in fine, vbi id videtur expressè tradidisse. D. tamen Thomas solum docet, animam prius esse nutritiuam, deinde sensitiuam, postea intellectuam, quod rectè potest de vnicâ animâ intelligi; non quia eadem transeat in se ab vno esse ad aliud, sed quia ex defectu dispositionum primò fit nutritiua, id est, prius nutrit quàm sentiat, & prius sentiat quàm intelligat. Faeor tamen, in fine eius responsionis subiicit à D. Thomâ alia difficiliora verba, quibus videtur fauere sententia Conimbricensium, non tamen omnino aperte eam tradit: vnde & quia ratio nos in contrarium pellit, possumus alteram sententiam sequi. Ratione probatur hæc opinio: quia perfectio animæ rationalis exigit, vt his gradibus ad eam accedatur. Confirmatur experientia aliquorum animantium quæ ex putri materiâ oriuntur: nam in his prius videmus quidpiam viuens imperfectum, deinde aliud melioris notæ animal; ergo à fortiori idem contingeret in homine.

Contrariam sententiam veriorẽ reputo, scilicet, non infundi corpori ante animum rationalem aliam formam viuẽtem, prauam ad ipsam animam, & quæ huius introductione expellatur.

318 **M**ouet Primò, quia deberent etiam poni in equo v. g. (idem est de aliis brutis) tres animæ, vna nutritiua, sensitiua altera, tertia denique propria animalis illius hincibilis, quia etiam in quolibet animali dantur tres operationes, nutritionis, sensationis, & postea specifice, vt in equo hinnitus, in leone rugitus, &c. Item vltimus gradus in quolibet est perfectior, quàm gradus genericus eiusdem; atqui nullus agnoscit in equo & aliis animantibus eas tres animas, ergo nec ponendæ sunt in homine. Secundo, quia ea anima sensitiua, quæ ponitur ante rationalem, non est sensitiua in communi, sed est quadam in specie sensitiua,

ergo vel rationalis, vel irrationalis. Si rationalis, teneo intentum: si irrationalis, ergo illa materia immediatè ante hominem constituit brutum, quod est absurdum. Deinde, etiam si sit irrationalis, adhuc debet habere operationem propriam vltra communes sentiendi, & consequenter debuit ante ipsam præcedere alia sensitiua, & sic procedetur in infinitum. Quòd autem ante illam debeat præcedere alia sensitiua, probatur tuo ipso discursu: idè enim ante rationalem ponis sensitiuam, quia prius disponitur materia ad eas operationes communes sentiendi, quàm ad proprias discurrendi, quia illæ sunt omnibus communes, hæ verò propriæ. Sed etiam sunt in eâ animâ sensitiuâ operationes communes sentiendi, & operationes particulares, ergo etiam prius fuit disposita materia ad eas operationes communes, quàm ad proprias, ergo prius fuit altera anima potens exercere operationes communes, non vero proprias huius sensitiuæ animæ, ideoque ante eam animam sensitiuam particularem fuit altera sensitiua, & sic in infinitum. Ratio huius à priori est: quia licet tunc non sint nisi operationes communes in eâ animâ, adhuc ipsa habet virtutem, eò quòd particularis est ad proprias & peculiare operationes; ex defectu autem dispositionum prouenit, vt nequeat has exercere, possit tamen communes. Licet enim in principio ipso non sit diuersa virtus ad communes, à virtute ad particulares; dispositiones tamen, & accidentia quæ concurrunt ad communes, diuersa sunt à concurrentibus ad particulares, ideoque eadem anima, quæ postea efficit particulares operationes, extitit ibi antea, etiam si impotens ob defectum dispositionum ad eas operationes. Sicut licet in olibus sit eadem anima quæ in cerebro, non tamen potest intelligere & sentire in illis, potest autem in cerebro. Imò licet animus rationalis sit in puero adhuc existente in vtero matris, non tamen in illo intelligit, ergo ea anima prius exercet operationes communes, quàm particulares, ergo ex operationum prioritate non licet inferre, prius fuisse animam nutritiuam, & deinde alias particulares, ergo non sunt ponendæ sine necessitate. Et hinc respondetur ad argumentum oppositum, cuiusque confirmationem ab experientia desumptam: negamus enim, à perfectione animæ requiri eas formas viuas prauas; item & negamus, in animalibus, quæ sunt ex putri materia, prius vnã animam existere, & postea aliam perfectiorem, sed ab eadem illas omnes operationes procedere successiue, iuxta dispositionum successiõnem.

S E C T I O XIII.

Vtrum Animus rationalis sit spiritalis.

319 **I**NTER Catholicos non est in presenti dissidium vllum: pluribus enim in locis definitum est, animum rationalem spirituale esse, præsertim in cap. Firmiter, de Summâ Trinitate & Fide Catholica. Videantur Conimbricenses libro 1. de Anima, cap. 1. quaest. 1. art. 6. & de Anima, separata disputatione, art. 5. vbi plura congerunt testimonia Patrum pro eâ sententiâ: cum non obest Ioannes Thessalonicensis Episcopus, qui in Concilio Niceno II. Actione 2. palam dixit, ab Ecclesiâ sentiri, animum rationalem & Angelos non esse.